

CCXXI.

VII E. 26

344 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 175. f. probe scriptus, rubricisque distinctus, qui olim, ut *primo et ult. fol.* adnotatum, pertinuit ad Monasterium *S. Georii in Weltenburch*, five *Valentiam O. S. B. Dioec. Ratisbon.* in *Bavaria*, complectitur varia *D. Augustini* Opuscula, eaque ordine sequenti: I. praemissa *Pictura lineari*, quae *S. Doctorem cum Licentio, Trigetio et Alipio* confidentem exhibet, *Libros III. contra Academicos.* Antecedit illos: *Prologus Retractionum Sancti Augustini Episcopi.* Jam diu est quod facere cogito &c. Post hunc: *Incipit Tractatus Sancti Augustini in Libros contra Academicos.* Tractatus hic nihil est aliud, quam *C. I. L. I. Retractat.* quod incipit: *Cum ergo reliquissim, que adeptus fueram* &c. et finit: *Hoc opus sic incipit.* Non enim necesse erat addere, ut in editis: *O utinam Romaniane hominem sibi aptum.* Cum alioquin interjecto hoc Rubro: *Incipit liber sancti augustini episcopi. contra Academicos*, verba illa continuo sequantur. Opus integrum est, ut edit. *Maur. Paris. 1689. T. I. col. 249.*

II. fol. 43. *Incipit Liber. I. Soliloquiorum eiusdem.* Initium: *Voluenti michi multa ac uaria mecum* &c. Cum *L. II.* ut edit. *cit. col. 355.* Nihil tamen hic e *Retractat.* praemissum est.

III. fol. 69. sequitur: *Retractatio eiusdem in libro de immorta-*

litate animę. Post libros Soliloquiorum iam de agro mediolanum reuersus &c. Et: *Retractatio in librum disciplinarum id est VII. liberalium artium.* Per idem tempus quo *mediolani fui* &c. Sunt haec *C. 5. et 6. Libri I. Retract.* Atque nunc demum: *Incipit liber Sancti Augustini de immortalitate animę.* Initium: *Si alicubi est Disciplina. nec esse nisi in eo* &c. Extat edit. *cit. col. 387.*

IV. fol. 79. p. 2. *Incipit eiusdem liber de quantitate animę. per dialogum subtilissime editus.* Initium: *Quoniam uideo te abundare ocio* &c. Extat edit. *cit. col. 401.*

V. fol. 107. *Incipit Prologus Sancti Augustini in librum de natura boni. Liber de natura boni aduersus manicheos est* &c. Prologus hic *c. 9. L. II. Retractat.* est, quem statim Opusculum ipsum excipit hoc initio: *Summum bonum quo superius non est Deus est* &c. ut in edit. *cit. T. VIII. col. 501.*

VI. fol. 120. *Incipit Tractatus Sancti Augustini. De Ocho Questionibus.* Non certe illis *ad Dulcitium*, sed farrago quaedam *Augustini* Sententiis hinc inde conspersa, quae incipit: *Generalem iusticiam non uiolat quis. nisi libidine transgressus fuerit placitum societatis humane* &c. Exponuntur loca quaedam *Ecclesiastici, Prov. Deut. et Exodi.*

VII. fol. 122. *Incipit Retractatio S. Augustini in Libros de Ordine.* Per idem tempus inter illos quidem qui de *academicis scrip-*

ti sunt &c. Est L. I. *Retract.* c. 3. quod statim excipit *Liber. I. Sancti Augustini de Ordine*, cuius initium: *Ob ordine* (ita male pro *Ordinem*) *Rerum Mi Zenobi* (hic omissum: *consequi ac tenere*) *cuique proprium, tum uero universitatis* &c. Succedit L. II. ut edit. cit. T. I. col. 315.

VIII. fol. 148. *Incipit Liber Sancti Augustini De Magistro editus per Dialogum Ipsius. filiique sui Adeodati.* Initium: *Aug. Quid tibi videmur efficere uelle cum loquimur* &c. Extat edit. cit. col. 541.

IX. fol. 164. *Incipit Liber Eiusdem de Beata Vita.* Initium: *Si ad Phylosophie portum e quo iam in beatę uitę regionem* &c. Extat edit. cit. col. 297.

X. fol. 173. p. 2. *Incipit Retractatio Sancti Augustini in Libros de Sermone Domini in Monte. Per idem tempus de Sermone Domini in monte secundum matheum duo uolumina scripsi* &c. Est L. I. c. 19. cui fortassis Librarius duo illa uolumina subijcere parabat. Verum *Codex* hic explicuit, qui commendari meretur cum ob probam lectionem, tum ob praemissas frequenter Opusculis *Retractiones*, quod et a praecipuis *Augustini* Editoribus factitatum vides. Fol. ejus praevio inscriptum est: *Donatus ab abbate*, quo loco *Michaelem* intelligere licet, de quo *Catalogus Weltenburgensis* apud *Hund. Metrop. Salisb. T. III. Ratisp. 1719. p. 335. f. ad an. 1418. Postea suscepit Abbatiam in Mal-*

lerstorff, qui multos deportavit libros huic Monasterio.

CCXXII.

Codex membraneus lat. Sec. 133
X. Folior. 138. f. formae paene quadratae, eleganter exaratus, et optimaе notae exhibet I. S. *Augustini* Ep. Hipponensis Scriptoris Sec. V. *Libros XV. de Trinitate.* Fol. 1. p. 2. praemittitur locus ex *Retractionibus* hos Libros spectans litera quadrata ita inscriptus: *Commemoratio huius Operis in Libro Retractionum ita se habet. Libros de Trinitate quae Deus est quindecim scripsi per aliquot annos* &c. Titulus sequentis Epistolae eadem forma est: *Incipit Epistola Sancti Augustini ad Aurelium Episcopum Aecclesiae Kartaginiensis. Domino beatissimo et sincerissima caritate uenerando* &c. *De trinitate quae deus summus et uerus est* &c. Singuli Libri Elenchum *Titulorum* prae se ferunt, mireque, si naevos quosdam excipias, concordant cum *Editione PP. Maurianorum Opp. S. Aug. T. VIII. Paris. p. 746.* Ad calcem legitur: *Finit. deo gratias ago.* Et litera quadrata: *Expliciunt Libri Sancti Augustini. De Trinitate. Numero XV. Amen. Feliciter.*

II. fol. 137. p. 2. haec comparet Inscriptio litera quadrata: *Incipit Liber Sancti Augustini Episcopi Contra. V. Hostium Genera. Id est. Paganos Judeos Manicheos Sabellianos Et Arrianos.* Initium: *Debitor sum fateor. non*